e-codices

Qui Cogitant mala facere Stultus Vocabitur. Prov: 24. XXXXV.

Ea est AA. Religiosissimi omnium rerum sublunarium conditio atq natura, vt simul laudis et vituperij vberem in se materiam continentes, pro diversis eam tractantium ingenijs, aut suaviter laudari, aut amarè vituperari, aut si ab vtroq abhorreat dicturus, saltem genuinè queant depingi atq describi. Eadem hodierna die mihi obtigit materia, vt penè quid agam saxum inter et sacrum hesitabundus fluctuem; quibus an passionib. calamum accomodem, dubius pendeam; in vtramq paratum partem esse materia iubet ambiguitas, ab alterutro avellit materia, aut levitas aut gravitas; De Bacchaliorum insania, quae hoc mixe tempore classicum cani nere consueuit, dicturus laudem ea an vituperem potius ignoro, nec enim si calculum bene subduco, laude omnino indigna, nec laude omnino digna videntur, indigna laude quod effreni hominum gregi nunc ad omnem et nequitiae et insaniae viam liberas immittat habenas, et rationales penè omnes irrationalium proprietatib. transmutet, ipsamq si quae est in hominum cordib. sapientiam et prudentiam insipientia et imprudentia peruertat. Laudanda vero quod istam insipientiam, qua prò dolor ebrium exundat humanum ingenium meridiana nunc luce clariorem proponat, et quid intra corporis penetralia et latuerit hactenus, et etiamnum lateat extrinsecus et periculosa

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 420r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/420r)